



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Praesertim Augustini, Et Thomae Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Sacramentis In Genere Et Specie - Libros Octo Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput 1. Ordinis definitio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73212](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73212)

CAPUT I.

Ordinis definitio.

O Rdo à Magistro Sententiarum in 4. dist. 24. & ibidem à S. Thoma, & S. Bonaventura definitur sic: *Ordo est signaculum quoddam Ecclesie, quo spiritualis potestas eradicatur ordinato, utique in ordine ad corpus Christi consecrandum.* De qua definitione S. Thomas, definitio (inquit) quam Magister ponit de Ordine, convenit Ordini secundum quod est Ecclesie Sacramentum. Et ideo duo ponit, scilicet signum exterius, ibi: signaculum quoddam: id est signum quoddam; & effectum interiore, ibi: quo spiritualis potestas, &c. Nec solum convenit Ordinibus majoribus, sed & minoribus: utpote quorum omnium finis ultimus est potestas consecrandi Christi corpus. Ad hoc enim omnes mediata, vel immediata instituti sunt; omnes etiam ad divinam illam potestatem suscipiendam suo modo præparant ac disponunt.

CAPUT II.

Ordo est verum nova legis Sacramentum.

I D optimè probat Tridentinum sess. 23. c. 3. *quia cum Scripturæ testimonio, Apostolicæ Traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram Ordinationem, que verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri (ad eoque Ordinem esse invisibile gratiæ visibile signum prædicum) dubitare ne no debet, Ordinem esse verè & propriè unum ex septem sanctæ Ecclesie Sacramentis.*

3 Illud verò Scripturæ testimonium petitur ex 2. Timoth. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, que est in te per impositionem manuum mearum.* Apostolicæ Traditionis depositarii sunt SS. Patres, quos inter S. August. 1. 2. contra epist. Parmen. c. 3. tam Ordinem, quam Baptismum esse dicit Sacramentum: *utrumque enim Sacramentum est, & quædam consecratione utrumque homini datur; illud cum baptizatur; istud cum ordinatur.* Quod (ut infra dicit) nemo dubitat. Erat igitur traditio certissima. De eadem traditione testatur S. Leo epist. 11. aliàs 81. & epist. 1. aliàs 86.

CAPUT III.

Divisio Ordinis.

D istinctio Ordinum (ait S. Thomas Supplement. 9. 37. a. 2.) est accipienda secundum relationem ad Eucharistiam. *Quia potestas Ordinis aut est ad consecrationem ipsius Eucharistie, aut ali-quod ministerium, ordinatum, ad hoc Sacramentum Eucharistie. Si primo modo, sic est Ordo Sacerdotum. Et ideo, cum ordinantur, accipiunt potestatem consecrandi corpus & sanguinem Christi. Cooperatio autem Ministrorum est vel in ordine ad ipsum Sacramentum, vel in ordine ad suscipientes. Primum est ministerium, quo Minister cooperatur Sacerdoti in ipso Sacramento, quantum ad dispensationem: & hoc pertinet ad Diaconum. Secundum, est ministerium ordinatum ad materiam Sacramenti ordinandam in sacris vasis: & hoc pertinet ad Subdiaconum. Tertium, est ministerium ordinatum ad præsentandum materiam Sacramenti: & hoc competit Acholyto. Sed ministerium ad preparationem recipientium ordinatum, non potest esse nisi super immundos: quia qui mundi sunt, jam sunt ad Sacramenta percipienda idonei. Triplex est autem genus immundorum, secundum Dionysium in lib. de celesti Hierarchia c. 3. *Quidam enim sunt omninò infideles, credere nolentes: & hi totaliter etiam à visione divinarum, & à cætu fidelium arcendi sunt: & hoc pertinet ad Osiarios. Quidam autem sunt**

vulentes credere, sed nondum instructi, scilicet Catechumeni: & ad horum instructionem ordinatur Ordo Lectorum. Quidam verò sunt impedimentum habentes ex demonis potestate, scilicet Energumini: & ad hoc habet ministerium Ordo Exorcizantium.

Proinde, ut idem S. Doctor habet l. 4. contra Gentes c. 75. *Ordines sunt septem, scilicet Osiariatus, Lectoratus, Exorcizatus, Acholyatus, Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus.* Infimi Ordines deserviunt Sacerdotali Ordini, solum in populi præparatione. Osiarii quidem, arcendo infideles à cætu fidelium; Lectores autem, instruendo Catechumenos de fidei rudimentis. Exorcizati autem, purgando eos qui jam instructi sunt, si aliquoties à demone impediuntur à perceptione Sacramentorum.

Superiores verò Ordines Sacerdotali deserviunt, & in præparatione populi, & ad consummationem Sacramenti. Nam Acholyti habent ministerium super vasa non sacra, in quibus Sacramenti materia præparatur. Unde eis urceoli in sua Ordinatione traduntur. Subdiaconi autem habent ministerium super vasa sacra, & super dispositionem materiæ nondum consecratæ. Diaconi autem ulterius habent aliquod ministerium super materiam jam consecratam, proat sanguinem Christi dispensant fidelibus. Et ideo hi tres Ordines, Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus, sacri dicuntur, quia accipiunt ministerium super aliqua sacra.

Dicuntur & sacri aliâ consideratione, quia videlicet annexum habent solemne votum continentis, per quod homo specialiter & immobiliter Deo consecratur. Et utraq; etiam ratione dicuntur Ordines majores. Reliqui verò minores.

Si quæras 1. cur non dicamus esse octo Ordines, prænominatis addendo Episcopatum: utpote quem esse Ordinem, constat ex eo quod ipsi conveniat tradita Ordinis definitio. Verè enim Ordinatio Episcopalis est sacra cæremonia, signaculumque Ecclesie, quo spiritualis potestas, & gratia ipsa traditur Episcopo, juxta illud 2. Timoth. 1. *resuscita gratiam Dei, que est in te per impositionem manuum mearum.*

Respondeo, licet Episcopatus verè sit Ordo, verè etiam Sacramentum, non esse tamen octo Ordines: tum quia Episcopatus comprehenditur sub Sacerdotio, quatenus Sacerdotium dividitur in summum, & non summum: tum quia Episcopatus non distinguitur adæquatè à Sacerdotio, sed ipsum essentialiter importat, potestatem utique consecrandi. Non sunt ergo nisi septem Ordines, adæquatè à se invicem distincti.

Si quæras 2. an Tonfura non sit Ordo? Respondeo negativè. Neque enim est Ordo major, ut patet. Neque minor. Cum Tridentinum sess. 23. c. 2. & de reform. c. 6. eam à minoribus Ordinibus perspicuè distinguat, ibi: *nullus primâ Tonfurâ initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus, &c.* Nec certè per ipsam confertur ulla specialis potestas Ordinis, sed per eam solum deputatur quis ad Dei ministerium, deputatio Clericis omnibus communi. Et ideo non est Ordo (ait S. Thomas in 4. dist. 24. q. 3. a. 2. q. 2. in corp.) *sed præambulum, seu dispositio ad Ordinem.* Nec ipse Clericatus est Ordo, sed quædam professio vite, dantium se divino ministerio, ait idem S. Doctor opusc. 5. *Videri nihilominus potest Fagnanus in cap. cum contingat de stat. & qualit. ordin. ubi cum communi Canonistarum sententia pluribus contendit, Clericalem Tonfuram esse verum Ordinem.* Quod etiam censent ex Theologis Ateunus de div. offic. c. 35. Major, Eckius, Angelus, & cum ipsis Leonardus Van Roy Th. Mor. p. 4. tr. de Ordine cap. 2. q. 3.